



# The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTAE MARIAE IN ASTANA**\*IN

CAZAKISTANIA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONDITUR ET

ADMINISTRATIO APOSTOLICA ASTANANSIS AD GRADUM

DIGNITATEMQUE ARCHIEPISCOPALEM ET METROPOLITANAM EVEHITUR In Cazakistania fidelium copiam confirmari laetantes cernimus atque ut ii usque volumus florent et Christi salutem omnibus exhibeant, ad quorum salubriorem prosperitatem ecclesiastica instituta aptare properamus. Itaque, Apostolicae Nostrae potestatis usi plenitudine, Provinciam ecclesiasticam in Cazakistania erigimus pariterque Administrationem Apostolicam Astanensem ad gradum dignitatemque archidioecesis metropolitanae *Sanctae Mariae in Astana* evehimus, cuius archiepiscopalis sedes in urbe Astanansi locabitur et templum sub vocabulo « Matris a Perpetuo Succursu » in eadem urbe situm ad dignitatem ecclesiae cathedralis extollitur, cui exinde sedi nectentur dioeceses Almatensis et Karagandensis necnon Administratio Apostolica Atirauensis, veluti suffraganeae Sedes. Ad haec omnia exsolvenda Venerabilem Fratrem Iosephum Wesołowski deputamus, Archiepiscopum titulo Slebtensem seu Sancti Fiaci inter montes, atque in Cazakistania Apostolicum Nuntium, facta videlicet facultate quempiam virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re tandem ad exitum perducta, documenta confiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime officientibus quibuslibet. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die decimo septimo mensis Maii, anno Domini bismillesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

CRESCENTIUS card. SEPE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Franciscus Bruno, *Protonot.*

---

*Apost.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 9, p. 569 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana

---